DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE
MORBO SCROPHULOSO

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

EXCELLENTISSIMI, ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS

PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI

D E C A N I

NEC NON

CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE

LAUREA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

J. CHRYSONOMATA NEDOWIK,
Graecus Constantinopolitanus.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die 5. mensis Januarii 1833.

VINDOBONAE.
Typis J. P. Sollinger.

Ὠφελέειν ἢ μὴ βλάπτειν.

Ἱπποκρ. Ἐπιδ. Βιβλ. Α. Τμ β'.

VIRO HONORATISSIMO

FAUTORI SUO COLENDISSIMO

HENRICO ADAMBERGER

SCIENTIARUM ET LITERARUM

CULTORI

IN

PERENNIS GRATITUDINIS AC AESTIMATIONIS SIGNUM
PAGELLAS HASCE SACRAS ESSE VULT

GRATISSIMUS AUCTOR.

PROOEMIUM.

Legibus Academicis, quae, a tirone medico, examinibus rigorosis superatis, ex vasto Scientiae Medicae campo, quoddam argumentum publici juris facere, quo illi facultas Medicinam libere exercendi concedatur, exposcunt, lubenter obsequens, dissertationem de morbo Scrophuloso conscripsi.

Quamvis egomet novi, quam arduum sit, hunc morbum, cui multi viri Scientia profunda et experientia longa insudaverunt, ex omni parte bene tractare, attamen cum aliquid scribere debui, elegi talem, cui praecipue operam navare malui, propterea, quod nullus hodierno aevo tam frequens sit, et tam profundas labes infantibus, in cunabulis adhuc versantibus, imprimat et praeparet, ut medicorum praecipue juniorum attentionem nunquam non mereatur. Quamobrem ex ope-

ribus clarissimorum auctorum observata atque experta haurire, in unum colligere, iisque hasce pagellas ornare studui.

Qualecunque nunc, Lector benevole! hocce tractamen sit, tuae indulgentiae confideo, non immemor quid, tironis studiorum medicorum vix limina transgressi, humeri ferre valeant.

Dabam Viennae die 20. Decembris 1832.

Denominatio morbi et definitio.

Morbus scrophulosus, scrophulosis; Germanis Scrophelkrankhei, Scrophelsucht, est morbus systematis lymphatici, cujus effectus, et morbi quasi flos Scrophula (ἀπὸ τοῦ σκρόφα sus foemina, Mutterschwein), quae a Graecis Χοιρὰς, (ἀπὸ τοῦ χοῖρος sus masculus das Schwein), nunc χελώνα dim. χελωνάκι (Schildkröte); Italis scrofola, Gallis ecronelles, le mal de roi; Anglis the kings evil vocatur, et nihil aliud est, nisi intumescentia ac induratio glandularum lymphaticarum, morbus Hipprocrati jam notus.

Morbi divisio.

Attamen non omnis glandularum intumescentia nomen scrophulae meretur; nam glandulae ex diversis causis dynamicis atque mechanicis intumescere possunt, inde divisio scrophularum in veras Idiopathicas, et spurias Sympathicas, symptomaticas orta.

Verae scrophulae vocantur, quae ex passione systematis lymphatici quasi efflorescunt, et in nexu intimo cum statu morboso illius systematis versantur, ita ut illo crescente, et hae increscunt, evanescunt vero hae, illo silente.

Spuriae vero, fugaces, Hagedrüsen nominantur, quae qualicunque alii causae systema lympha-

ticum adgredienti, aut dynamicae, uti variolis, morbillis, scarlatinae etc., aut mechanicae, irritationi, pressioni etc. originem debent.

Non minoris valoris est et illa distinctio in protopathicas et deuteropathicas scrophulas, quae cum symtomaticis non aequales censendae, quoniam illae ex symptomaticis procedunt, dummodo scilicet adfectio symptomatica longe in aliqua systematis lymphatici parte saeviens, tales turbas et devastationes inducit, ut licet illa extra systema lymphaticum existens causa cessaverit, haec idiopathicum characterem induat.

Morbus scrophulosus, experientia teste, a parentibus ad infantes transit, vel infantes illum post nativitatem adquirunt, inde divisio in haereditarium et acquisitum.

Praeterea novimus, morbum scrophulosum, quamvis infantum, homines saepe ab aetate infantili ad provectiorem usque persequi, unde divisio in morbum scrophulosum infantum et adultorum.

Cum scrophulae in externa corporis suporficie in lucem prodeunt, in externas, et in internas dividuntur, quoniam in internis organismi partibus glandulae tument. An non possent commode in scrophulas dermatis, scr. membranarum mucosarum; scr. organorum glandulosorum; scr. systematis ossei; et in scr. systematis nervosi dividi?

Porrocum hic morbus cum aliis cachexiis v. g. syphilide etc. conjunctus occurrit, in simplicem et complicatum dividitur.

Ratione vero durationis morbi in recentem et inveteratum.

Endemice quoque in regioribus magis septentrionalibus quam meridionalibus regnare uti in Anglia, Scotia, Suecia, Stiria, Alpium vallibus, nec non sporadice occurrere, nemini ignotum est.

Tandem in benignum et malignum dividere solent. Benignus est, quem nulla inflammatio concomitatur.

Hypotyposis.

Quamvis morbus scrophulosus adeo proteiformen referat imaginem, diagnosis tamen ejus non tam difficilis est. Cujus morbi duo stàdia auctores assumere consueverunt, Diathesim scrophulosam et scrophulosim manifestam.

Infantes diathesi scrophulosa contaminati distinguuntnr: constitutione corporis tenera, gracili; vel laxa, molli; temperamento aut irritabili, aut phlegmatico; capite justo majore, praesertim occipite cum temporibus compressis, grave, quod tenelli erectum tenere non valeant, sed frequentur ad latus ponere cogantur; Capillos habent flavicantes; facies eorum mox amoene rubet rubore genarum circumscripto, mox vero pallet, inflata atque turgida adparet; oculos in orbita profunde retractos cum Iride coerulescente, pupilla multum dilatata, symptoma, quod saepe scrophulas Mesenterii prodit; nasum praesertim in alis tumidum, cute rubescente, nitente; labium superius quoque tumidum, symptoma quod

non fallit, periodiceque hinc inde tumescit; subinde et labium inferius tumet cum maxilla inferiori prominenti, solito latiore; dentes candidos; lobulum auris tumidulum; Physiognomiam exhibent senilem, severam, cui et loquela seria, prudens accedit. — Collum habent vel tenue longum, vel breve et crassum; pectus complanatum angustum; scapulas prominentes. — Abdomen tensum tumidumque. — Totam cutem teneram diaphanam, ita, ut in multis locis venarnm cursus transpareat, quae omnia *habitum scrophulosum* constituunt.

Corporis evolutiones mox retardatae mox praecipitatae incedunt. Dentitio tardius et irreguraliter insequitur; candor dentium cito evanescit, facile nigrescunt et cariosi evadunt; ejusmodi infantes tardius loqui incipiunt; ossa eorum serius robur adquirunt; articuli plus minus tument; extremitates praecipue inferiores, flaccidae macilentae, debiles; hinc gressus difficilior, tarde sequitur; functionum mentalium e contra, instinctus sexualis praematura evolutio, inde magna in onaniam proclivitas. — Et molestiae quaedam, quae nonnullos infantum continuo adfligunt, attentionem medici merentur: Blepharopthalmiae, epistaxis frequens; coryza; tussis, catarrhosa chronica, cum excreatione majoris quantitatis muci; Intertrigo absque causa manifesta; Impetigines variae formae; Intumescentiae nonnullarum partium ex accumulatione Lymphae; oedemata in extremitatibus ab aliis oedematibus eo distinguenda, quod remoto digito prementi, nullam

foveolam relinquant, et quidem frequenter in facie et scroto; sensus molesti secundum decursum vasorum lymphaticorum periodice intercurrentes, cum intumescentia horum vasorum manifesta saepe conjuncti, serius iterum evanescente; in puellis fluit ex vagina materies quaedam mucosa acris, species quaedam fluoris albi, quae miseras ad manustuprationem seducit; — Turbae digestionis variae, fere semper laborant ejusmodi infantes dyspepsia, acido primarum viarum, adpetitu inaequali, saepe adest polyphagia quasi bulimus, saepe anorexia absque causa, cupido magna ad panem, cibos farinosos; mucus et vermes non raro canalem alimentarem obruunt; flatus, inde tensio abdominis, colica flatulenta atque spasmi pusillos molestant; excretio alvina irregulariter procedens, modo fluida, modo sicca, saepe mucosa, coloris viridescentis, imo nigrescentis, admodum foetens, rarissime consistentiae normalis, cum frustulis nutrimentorum indigestorum intermixta; urinae nec non sudor acidum liberum redolentes. Tandem et motus febriles infantes vexant, characterem catarrhosum aemulantes, typi irregularis, cum horripilationibus plerumque frigore manifesto incipientes, et subsequenti calore periodice adaucto, subinde exacerbationes celebrantes cum subsequentibus longis intermissionibus, subinde vero continuo decurrentes, atque per aliquot hebdomadas durantes, quibus tussis pituitosa, stertor, digestionis vitia, generatio muci, acidi primarum viarum cum abdomine tumido succedunt.

Stadium secundum: Scrofulosis mánifesta phaenomenis magis sensibus patentibus insignitur, quorum praecipua sunt: Intumescentiae glandularum sic dictarum conglobatarum, adenophymata scrophulosa externa, vulgo Scrophulae. Adparent hae praeprimis in colli utroque latere, cujus exploratio ad diagnosim hujus morbi semper instituenda est, porro in nucha, axillis, inguinibus, uno verbo in omni regione, ubi glandulae majori quantitate exstant. Hae intumescentiae ab initio sunt magnitudinis pisi, molles, elasticae, mobiles, indolentes, cuti concolores; pedetentim ad magnitudinem nucum juglandum aut ovorum columbarum usque increscunt, solidescunt, cum partibus adjacentibus concrescunt et inde immobiles fiunt. Multae harum inter se ita conjunguntur, ut series tumorum sistant, scrophulae concatenatae dictae, quae sua praesentia pro variis regionibus, ubi sedem figunt, varias molestias efficiunt. Una glandula eaque sola rarius magnitudinem insignem adtingit, sed multae simul. Etiam vasa lymphatica intumescunt, ita ut funis aut chordae adinstar tangantur. Characteristicum, quo vera scrophula ab aliis glandularum tumoribus distingui solet, est sensus quidam elasticitatis, qui digito exploranti percipitur. Si igitur intumescentiae istae durae evaserint, aut, sine incommodis per aliquod temporis intervallum, imo per multos annos indolentes perstant, aut, cute rubescente, dolent, oritur inflammatio magnitudinem intumescentiae promovens, quae in suppurationem

sed imperfectam, nunquam in abscessum abit; subinde desorganisantur et, aut in scirrhum, aut in ossificationem terminantur.

Praeter supra memoratas regiones, in quibus scrophulae primo adparent, et caeterae partes cutis externae non parcentur, imo adsunt exempla scrophularum totum fere corpus obruentium, ita ut quantitas illarum plusquam mille conficiebat. Etiam in intimis corporis penetralibus tales intumescentiae generantur, v. gr. in cerebro, pulmonibus, mesenterio, hepate, liene et in feminis in utero.

Praeterea apud infantes scrophulosos et impetigines diversae formae in lucem adparent; ejusmodi subjecta cutem habent semper spurcam; laborant frequenter tinea capitis, praesertim achoribus; Crusta lactea; ulceribus, quae ubicunque cutem deturpant; vario ambitu, marginibus inaequalibus duris, lardaceis, ulceribus syphiliticis aequiparandis; — Apud puellas nec non viros scrophulosos, in facie collo, manibus, pectore et abdomine chloasmata (Leberflecken) scrophulosa occurrunt; — sub finita evolutione corporis evolvuntur in facie praecipue super nasum gutta rosacea scrophulosa (der scrophulöse Kupferausschlag); acne scrophulosa (die scrophulöse Finne).

Oculi quoque, scrophulosae labis particibes fiunt, atque praecipua hujus morbi symptomata praebent. Huc pertinent: Inflammationes diversarum oculum constituentium partium cum earum secundariis morbis uti Blepharoadenitis; Blepharitis

cum crusta lactea, chordeolum, chalazium externum; Pachyblepharosis; Tumores cystici; ulcera et horum effectus, uti Alopecia superciliaris, Madarosis ciliaris, Trichiasis, distichiasis. — Prosphymenitides (nomine hybrido conjunctivitides); Lippitudo, Blepharoblennorrhoea, Ophthalmoblennorrhoea, Trachoma, Chordeolum, Chalazium internum; Erysipelas; Carunculae; Papulae. — Dacryoadenitis; Lithiasis glandulae lacrymalis; Epiphora; exulceratio punctorum lacrymalium, sacci, et canalis lacrymalis; dacryocystitis; — Inflammatio paniculi adiposi superficialis; (Inflammatio externa orbitae Benedicti) Inflammatio paniculi adiposi profundi; Inflammationes orbitae totales: Lipoma orbitae, tumores ossei orbitae, exostoses, caries; — Opthalmitis, Keratitis, Amaurosis; Cataracta lactea, Cornea conica pellueida, Cornea conica opaca, et tandem Staphyloma corneae globosum; omnibus originis scrophulosae, quorum exactam descriptionem inveniet lector in opere clarissimi Prof. Rosas (Handbuch der theoret. und pract. Augenheilkunde 11. Bd. Wien 1830).

Aurium Inflammationes et Aurifluxus uti: Otitis externa et interna; Otorrhoea externa et interna; caries ossium auditus scrophulosa; — Parotis quoque tumescit, quae neglecta ad insignem magnitudinem evehitur, inde Parotidoncus scrophulosus.

Nec membrana Schneideriana immunis manet, sed ed haec participat diathesim scrophulosam, facile inflammatur, ex qua inflammatione, fluxus

materiae acris, alas nasi et labium oris superius arrodens, inde Rhinorrhoea scrophulosa, quae neglecta ipsa nasi ossa adgreditur.

Intumescentiae glandulae Thyreoideae (struma) atque vicinarum glandularum, in gratiam diatheseos scrophulosae observatur, quae tamen et ab aliis causis, uti refrigerio, nisu intentiori sub adscensu montium, cantu, inflatione tubarum, nixu ad partum oritur, atque in vallibus montium endemice occurrit.

In feminis scrophulosis sub evolutione versantibus, vel post primum partum non raro scirrhus mammae generatur, qui ab initio magnitudinis pisi, mobilis est, sub tactu plus minus dolens, sensim sensimque increscit, et sub influxibus nocentibus, vel sub neglecta aut perversa tractatione, in cancrum abit.

Inflammationes membranarum mucosarum os obvestientium, praesertim tonsillarum non infrequentes apud individua scrophulosa sunt. Et si haec antiaditis scrophulosa ab initio reglecta, aut, nullo diatheseos scrophulosae respectu habito, tanquam simplex catarrhus tractata fuerit, in talem molem increscit, ut pharyngem penitus occludens, dysphagiam, dyspnoeam, ipsamque suffocationem provocet.

Inflammationes glaudularum tracheae, bronchiorum, nec non pulmonum; inde tracheïtis, bronchitis, pneumonitis scrophulosa florida aut tuberculosa non raro, minima causa data, evolvuntur,

lente atque dolose decurrunt, et nonnisi sub regimine strenuo in eorum perfecta evolutione detineri possunt.

Inflammationes glandularum Mesenterii dolosae fere semper individua scrophulosa adfligunt, quae sub decursu inflammationis lentae repetitae, infarciuntur, intumescunt, pedetentimque ita indurescunt, ut transitus et elaboratio humoris nutritii impossibilis reddatur, atque Atrophia Mesenterica generatur, cujus pessimi mali diagnosis ab exploratione abdominis nunquam praetermittenda, quod semper magnum, tumidum, durum, tumores circumscriptos manui exploranti offerens, atque a functionibus, digestione assimilatione nutritione excretione laesis desumitur; unde extremitates ejusmodi individuorum emaciatae, in cute sic dictae Comedones observantur, qui nihil aliud sunt, nisi materies sebacea in glandulis sebaceis contenta et tantae incrassationis, ut per poros cutis, sub figura albi cylindri cum apice nigro promineant, et vulgo qua causa morbi habentur, potius hujus effectum sistunt; — Si vero glandulae Mesenterii sub lenta inflammatione suppurantur, Phthisis mesenterica oritur. — Atrophiam mesentericam, turbae functionum hepatis, lienis, pancreatis, infarctus, indurationes horum organorum saepe concomitantur, aut insequuntur, inde Tabes abdominalis generatur.

Apud foeminas scrophulosas ante vel post pubertatem, materies mucosa albescens, quantitatis

sat magnae e vagina secernitur, inde Elytrorrhea scrophulosa.

Post inflammationem matricis ejusmodi subjectorum reiteratam, et substantia hujus organi intumescit, ataxiis catameniorum, doloribus continuis vel remittentibus stipata, quae metremphraxim scrophulosam constituunt, quae neglecta, atque perverse tractata facile in scirrhum et tandem in cancrum terminatur.

Etiam Hydropes in scrophulosis individuis facile generantur, nec mirum; nam si functiones organorum laeduntur, secretio et absorbtio turbari debent. Leucophlegmatiae, oedemata extremitatum, frequentiora mala sunt, sed et Ascites, Anasarca non rara; imo Hydrocephalus infantum tam acutus quam chronicus cel. Hufel. opinante, scrophulosae originis est.

Diathesis scrophulosa non infrequenter in systema ossium ruit, exinde ille morbus oritur, qui Rhachitis, spina bifida, englische Krankheit, Doppelglieder, Zweiwuchs vocatur, qui in prima infantia inter annum primum et secundum manifestari solet. Hunc vero nihil aliud esse, quam modificationem scrophuloseos, ex eo elucet, quod haec ex iisdem causis originem sumat, ex quibus scrophulae generantur, quod haec ex jam praeexistente scrophulosi evolvatur, altera in alteram transeat, et quod notabile dignum est, quod Rhachitide jam efformata, scrophulae rarius observentur. Symptomata vero Rhachiditis diagnostica sunt: Intumescentia

apophyseum, praesertim articulorum manus et pedis, inde itus et status difficilis, incurvationes ossium cylindricorum praecipue tibiae, sterni, costarum, spinae dorsalis, quae vel antrorsum curvatur (Lordosis, Repanditas), vel postrorsum (Kyphosis), vel ad latus (Scoliosis). Caput magnum; status pituitosus pulmonum, asthma, acidum in primis viis nec non evolutio functionum mentalium praecox, ad essentialia phaenomena referuntur.

Sub decursu Scrophuloseos ossium, Intumescentia ambitus unius ossis aut plurium indolens circumscripta, frequenter a tertio ad decimum usque annum, rarius in aetate pubertatis observatur, qui tophus scrophulosus (ſcrophulöſe Knochenanſchwellung) nominatur, atque in omnibus ossibus non raro et in maxilla inferiori occurrit, qui pro diversitate sedis, diversas molestias, uti amorphiam, dyskinesiam efficit, pedetentim increscit, et saepe absque damno ad tumulum usque perstat; subinde prodromus spinae ventosae. Tophi vero scrophulosi, ab arthriticis aut syphiliticis sunt distinguendi, et quidem eo, quod illi in medio solummodo ossium cylindricorum in conspectum veniunt, nocteque dolores profundos effiiciunt, dum hi ad extrema ossium in lucem prodeunt.

Et caries scrophulosa (Paedarthrocace, caries peripherica), quam inflammatio periostei externi, deinde suppuratio sub decursu scrophuloseos ossium praecedit, frequenter in ossibus digitorum, manuum, pedum, metacarpo, metatarso, ossibus

faciei, ossium processibus, rarius in vertebris occurrit.

Spina ventosa (caries profunda centralis, der Winddorn), vero generatur, si post inflammationem periostei interni, intumescentia dolentissima orta fuerit.

Ossteosarcoma scrophulosum (scrophulöse Knochenfleischgeschwulst) non infrequenter oritur, si per inflammationem lentam, ambitus ossis cujuslibet ita augetur, ut istud cum partibus adjacentibus sub doloribus lancinantibus, pungentibus, intolerabilibusque in massam aequabiliter caseosam plus minus solidam convertatur.

In articulis quoque diversa mala sub decursu scrophuloseos generantur. Sic oritur Arthrocace, arthrocacia scrophulosa (die scrophulöse freywillige Verrenkung) si in articulationibus periosteum extremorum ossium inflammatur, atque perfecta vel imperfecta articuli destructio sequitur. Hoc malum in omni articulo evolvitur, frequentissime vero et magis apud scrophulosas puellas in articulo Coxae (Coxarthrocace, arthrocace ischiadica) fere semper in aetate puerili, et apud talia individua, qua, fortuito casu, influxibus traumaticis subjecta fuerunt; inde decurtationem pedis, claudicationem et alios malos effectus, secundario modo, exoriri facile intelligitur.

Praeterea apud scrophulosa individua et vertebrae per diminutionem earum ambitus ita a se invicem amoventur, ut malum illud ponatur, quod

spondylarthrocace scrophulosa appellatur, et quod essentialiter a caeteris spontaneis luxationibus eo differt, quod nulla caries, suppuratio rarissima, sanatio per anchylosim nonnunquam observatur, et quod consuetim in primis colli vertebris aut lumborum, rarissime vero in illis dorsi animadvertitur.

Ipsum tandem systema nervosum a scrophulosi adficitur, inde symptomata symptomatum exoriuntur; nam cum systema lymphaticum maximum in systema nervosum influxum habeat, ipsi nervi necessario adfici debent; hinc vel erethismus vel stupor peccat; exinde convulsiones, chorea Sti Viti, Hypochondria, insultus epileptici, paralyses, etc.

Cretinismus autem est maximus scrophuloseos gradus, quem illa adtingere potest, quo totus organismus ista labe ita contaminatus est, ut homo suam imaginem tantummodo retinens, ad animal ordinis inferioris deprimatur.

Substratum morbi.

Systema lymphaticum longe lateque per totum corpus dispersum principalem sedem hujus morbi largitur, cujus succinctam anatomico-physiologicam descriptionem praemittere non inutile censeo.

Systema lymphaticum constituunt vasa propria et glandulae inde conformatae. Vasa haec, lymphatica, lactea, absorbentia vocata, innumera sunt, subtilissima, diversi luminis, pellucida, ex duabus tunicis constantia, externa altera cellulosa, tenaci,

altera interna propria tunica dicta, teneriori laevi, quae textus cellulosi ope cum membrana extima connectitur, multas plicas semilunares efformans, valvulas dictas, quae binae sibi oppositae, suis cavis ductnm thoracicum respiciunt, et talimodo reditum lymphae impediunt, et quae ibi reperiuntur, ubi ramus vasorum lymphaticorum in truncum terminatur. Gaudent vasis sanguiferis, nervis autem a nonnullis denegantur. In superficialia et profunda divisa, originem ex omnibus superficiebus membranarum sumentia, in omnibus cavis, interstitiis textus cellulosi ossei inveniuntur, ut igitur in omnibus organismi partibus dispersa, maxima ex parte in truncum illum ductum thoracicum, confluant, atque immediate in vasa sanguifera abeant.

Glandulae lymphaticae vero, quas vasa lymphatica, sanguifera et nervi, textu celluloso conjuncta, constituunt, innumerae quoque sunt, copiosae tamen in collo, axillis, inguinibus et in Mesenterio cernuntur, decursum vasorum lymphaticorum intercipientes; in cavo tamen orbitae, antibrachio, pede, nulla hujusque detegi potuerunt. Quoad formam vel rotundae sunt, vel ellipticae, colorem in diversis partibus varium habent; mesaraicae albicantem, nigricantem bronchiales, plerumque vero rubicundae sunt.

Vasa lymphatica et glandulae non solum irritabilitate organica pollent, qua absorbtio et lymphae promotio absolvitur, sed et sensibilitate, qua con-

sensus et symphatiae inter glandulas conglobatas et vasa absorbentia ponuntur.

Functiones hujus systematis in Absorbtione et Assimilatione consistere, nemini ignotum est. Attamen hic bene notandum venit, officium absorbtionis atque primae adsimilationis non tantummodo systemati lymphatico incumbere, sed et venis mesaraicis, atque illi praecipuo abdominis visceri, hepati scilicet, quod praecipuam in prima adsimilatione symbolam confert.

Absorbtio, ea functio vasorum absorbentium est, qua substantiae externae ponderabiles et imponderabiles, particulae inquilinae in eorum circulum adsumuntur, materia absorpta in lympham convertitur, et haec in sanguinis massam promovetur. Haec functio ubicunque in organismo obtinet, et quidem primo in latissima provincia dermatis et externa (*a*) superficie pulmonum vasis absorbentibus scatentibus, quibus non solummodo illud necessarium vitae pabulum a ë r, cum materiis, quae illi semper immiscentur, sed et aliae substantiae tam siccae quam fluidae, quae fortuito casu aut ex consilio in contactu cum cute veniunt, absorbentur. Secundo, in toto tractu intestinali, in quo ab ore ad alterum finem

---

(*a*) Sub externa superficie intelligimus illam membranae mucosae superficiem, quae libera immediatam communicationem cum mundo externo sustinet, et non illam amictus serosi pleurae obversam; lege c e l e b e r r i m i P r o f. Franc. nobilis ab H i l d e n b r a n d. Institutiones practico-medicas Tom. Tertium Viennae 1822.

us que, innumera vasorum absorbentium ostiola patent, quae, quidquid in contactum cum illis absorbtioni idoneum venit, in se recipiunt. Deinde in cavis internis, vasa haec humorem continuo exhalantem absorbent, qua absorbtione, accumulationes serosae prohibentur. Tandem in interstitiis textus cellulosi. Huc refertur absorbtio in omnibus visceribus, organis secernentibus, musculis, etc. cujus absorbtionis scopus maximae dignitatis est, nam non solum lympham pro nutritione superfluam denuo recipiunt, subigunt, et in circulum sanguinis vehunt, sed et materias vi vitali destructas nocivas ad organa secretoria et excretoria deferrunt.

Assimilatio vero est ea opera vitae, quae, materiam nutrientem forinsecus susceptam ad dignitatem organicam, qua corpus nutriendum gaudet, paullatim extollit. (*a*).

Materia nutriens, forinsecus suscepta, primam mutationem jam in ore sub masticatione experitur, atque in ventriculum delata, per processum digestionis in chymum convertitur, in intestinis autem, in chylum, succum nimirum blandum, lactescentem, coagulabilem, transformatur. Chylus a vasis lymphaticis insestinorum absorbtus ad ductum thoracicum, et per hunc in circulum sanguinis defertur. Sed, antequam in circulum perveniat, mutationem in systemate lymphatico majorem ac in primis viis experitur, quod ex innumeris glandulis, nervis, atque

(*a*) Hartm. Th. morbi. §. 155.

hujus systematis propria vi vitali facile intelligitur. Quapropter hoc systema ad principalia organa Assimilatoria referri meretur, nam hic locorum materiae forinsecus susceptae proprie mutari debent atque characterem animalem induere. Ab hocce systemate salus non solum singulorum organorum, sed et totius organismi dependet. In gratiam morbosi status hujus systematis patitur Sanguificatio; exinde variae sanguinis dyscrasiae, patitur Nutritio, nam hoc systema recipiens omne id quod nos nutrit, impertit huic primum animalisationis gradum; si autem hujus systematis energia vitalis languet, et fluidum exsurget ab altioribus dignitatis organicae gradibus nimis remotum, minus plasticum, glutine crudo abundans, vel et particulis a natura animali alienis impraegnatum; exinde varia vitia: Atrophia, vel Hypertrophia singularum partium, Adipositas, Polyblennia; Extravasationes lymphaticae, serosae, atque variae cahexiae ortum ducunt.

Ex hac descriptione nunc clare elucet, systematis lymphatici influxum in omnes functiones, et dignitatem ejus, magni momenti esse, atque vitia ejus in omnem oeconomiam animalem nunquam non redundare.

Causae et Nosogenia.

Morbi hujus Aetiologiam indagantes, ingentem causarum cohortem invenimus scrofulogenesi faventium, quae in causas remotas et causam proximam distinguuntur; priores in proëgumenas et procatarc-

ticas dividi solent. Ad Proëgumenas refertur Dispositio haereditaria. Infantes a parentibus eodem malo vexatis, vel Onania, abusu veneris debilitatis, aetate provectioribus, decrepitis, vel Syphilide infectis, oriundi, hac labe plerumque adficiuntur. Quandoque est morbus acquisitus. Aetas infantilis et sexus femineus ad causas disponentes quoque referri merentur; nam infantes laxi, delicatuli; hinc puellae magis ac pueri in hunc morbum dispositae sunt.

Ad procatarcticas vero pertinent quae morbum jam dispositum excitant uti: Deuegatio uberum matris a primis jam nativitatis diebus, quibus papillas artificiales non raro spureas, aut vitra proh dolor! substituunt, quae, loco illius salutaris, nulli alii rei aequipurandi pabuli, lac animal tunc frigidum, tunc calidum, diversae indolis cum pharmacis jam mixtum, in se includunt, quo miserorum os, sine respectu eorum desiderii, obstruitur, et quod salutare illud in primis diebus infantis cum matre intimum commercium attinet, nullus sermo amplius potest esse; nam frequenter a prima die jam a matre separati, et in locum domus remotum neglectumque quasi exterminati, sub auspiciis ancillarum non raro aeque ac matres crudelium, vitam eorum inter circumstantias adversas fluctuantem conservare coguntur; — Victus farinosus, dyspeptus, magnae quantitatis, variis rebus mixtus; potus vel nimis frigidus vel nimis calidus; potulenta vinosa acidula, aromatica, Thea, coffea etc. quibus rebus parentes in prima nfantia tenellos, commodi causa, adsuefacere co-

nantur; — Immodicus usus emeticorum, purgantium, digestivorum, quas res, primas vias debilitare, lympham crassiorem reddere, circulum ejus praepedire, occasionem generationi acidi, muci vermium largiri, per se liquet; — Versatio in aëre impuro, frigido, humidoque; in cubilibus parvis, obscuris, radiis solaribus per totum annum imperviis; — Exercitium corporis neglectum, inde ejusmodi pueri pigri, inertes; — Immundities cutis, lotionibus, balneis, mutatione vestimentorum neglectis, quas potentias ad scrophulogenesim suam symbolam non parum conferre facile patet; nam primo, dum cutis resorbere cogitur quod excretum est, systema lymphaticum materiis corruptis acribus infarcitur, deìnde functio cutis, transpiratio, resorbtio retinentur, et tandem cutis vitalis energia ex toto pessumdatur. — Illa mala consuetudo infantes in altiori temperatura servare, in stragulis plumeis sepelire, quemadmodum e contrario, ad corpus eorum roborandum, in balnea frigida immergere, corpus vestibus levibus induere. — Praecox functionum mentalium intentio; — Incitatio instinctus sexualis, quem praeter alias supramemoratas potentias inimicas, et nefanda illa consuetudo, infantum organa genitalia titillare, ut obdormiant, excitant, atque ad onaniam quantocyus praeparant. — Educatio perversa, nimis severa, timorem, terrorem in animum tenerum movens, talique pacto vim vitalem enervans. — Praeterea potentiae tales, quae vel digestionem debilitant, vel systema lymphaticum im-

mediate adficiunt, uti febres gastricae, intermittentes, tussis convulsiva, praesertim vero tales febres, quae saepe crisibus imperfectis aut metastasibus terminantur, uti febres exanthematicae: variolae, morbilli, scarlatina, quibus superatis, scrophulosis statim adparet. — Medicamenta tandem, aut perverse, aut longiori tempore adhibita, sicuti: Cortex Chinae, Opium, Mercurius etc.

Causam proximam vero in mala systematis lymphatici dispositione latere, celeberrimi auctores jam docuerunt (Hildenbrand, Hufeland). In vasis scilicet lymphaticis talis atonia et debilitas delitescit, ut lympham nec expedire nec diluere valeat; inde lympha nimis crassa inspissata, et ob motum praepeditum, ad vasa minera circulare non potest. Lympha videtur esse copiosior ac in statu sanu, adest sic dicta Plethora lymphatica et peculiares hujus lymphae lentor (Hildenbrand). Ad peculiarem agrimoniam scrophulosam, quam nonnulli auctorum (Hufeland) assumunt, recurrere, non est necessarium, nam ipsa mala conditio lymphae crassioris ad omnia illa phaenomena explicanda sufficit. Nec syphilidis progeniem esse credimus, nam uti supra dictum est, morbus saepe est acquisitus. Nonnulli chemicorum putant in lympha scrophulosorum, acidum phosphoricum abundare, quod in urinis copiosius deprehenditur, et dum hoc acidum terrae calcariae jungitur, diversa concreta exoriri, inde illas mutationes explicare volebant. Alii tandem causam in concretione lymphae cum vasis lymphaticis residere

putabant, unde omnis diameter expletur, cui injectio glaudularum scrophulosarum penitus renititur.

Terminationes.

In sanitatem potest terminare, si morbus non inveteratus est, intensionis minoris; nulla vitia organica, nulli infarctus aut indurationes vel suffusationes in diversis organis adsunt, sub regimine diaetetico et therapia bene adhibitis.

Frequentius in alios morbos terminatur. Externae scrophulae inflammatae in bonam suppurationem nunquam abeunt; semper adest sanies ichorosa; exinde ulcera, praesertim in collo ánteriore et posteriore pessimae indolis, sordidissima, cicatrices foetidissimas relinquentes. Ex eadem ratione ophthalmiae pertinacissimae, lippitudo chronica oculorum. In aliis casibus ulcera recusant in cicatricem abire, sed illa sanies partes arrodit vel inflammat, inducit indurationes et callositates, quae si non excindantur, per totam vitam permanent.

Scrophulae internae v. g. pulmonum, in phthisim lentam tuberculosam, ulcerosam; Scrophulae Mesenterii in tabem lentam abeunt.

Similis suppuratio in ossibus et cartilaginibus contingit, caries in phalangibus, ossibus spongiosis carpi et tarsi pertinacissima. In ossibus cylindricis suppurationes limites nonnunquam ponunt, et fit exfoliatio ejusdem quod suppuratum fuit spontanea, viribus naturae; et si sub hac exfolliatione habitus jam emendari incipit, regeneratio ossium exorritur,

ita ut pristinum officium ossis cylindrici restituatur. Si autem Cahexia intensior est non facile fit felix ossium regeneratio, et sic aegri plerumque ex phthisi cariosa tabidi pereunt; semper tamen metuendum est, ne morbus chronicus remaneat. Pessimae autem devastationes in articulationibus contingunt, uti Anchylosis, Hydarthrus etc.

In mortem externae scrophulae abeunt, si tamdiu in glandulis consistunt, ut negotium nutritionis ita turbetur, ut tabes inde sequatur; internae vero, si ex cahexia vehementi functiones ita laedantur, ut nutritio amplius peragi non possit, tunc aegri tabidi, alii per hydropem pereunt. Si Scrophula in pulmone haeret, ex Phthisi pereunt, igitur semper ex deflectu mutritionis.

Cadavera Scrophulosi defunctorum totum corpus emaciatum ostendunt, et scrophulas in diversis partibus praecipue in Mesenterio numerosissimas. Hae sunt durae, externe, cute solida fere cartilaginosa obductae, materiam caseosam aut calcaream saepe includentes, sed non semper penitus obstructae, nam injectum Mercuriam transire sinunt. In aliis casibus pro parte sunt exulceratae atque destructae; frequenter Pulmones tuberculis obsessi inveniuntur. Hepar vero et Pancreas tumidum aut induratum; adipem omenti prorsus consumtum, tractum intestinalem muco et vermibus oppletum, Necroscopia exhibet.

Prognosis.

Pro diversitate subjecti aegrotantis, gradus morbi, organi adfecti, causarum, complicationis etc. diversa quoque erit prognosis. Verum quidem est, hunc morbum non esse periculosum, per multos annos absque conspicuo corporis detrimento posse perdurare, frequenter autem per morbos secundarios, qui illum excipiunt, perniciosum et laethalem evadere novimus. Quo profundius dispositio haereditaria in organismo radicem suam fixit, quo magis habitus scrophulosus evolutus est, eo pertinacior morbus. Ex altera parte, quo meliores rationes externae, domesticae, eo laetior prognosis. Et gradus morbi non parum prognosim determinat; longe facilior sanatio potest expectari, si morbus in primo gradu versatur, absque secundariis morbosis symptomatibus; si scrophulae ad collum, inguina restrictae, non sunt tam timendae, quam si partes lymphaticas praestantiores, uti Mesenterium adgressae fuerint, et si glaudulae numerosae immobiles, durae, scirrhosae et coloris caerulescentis sint. Apud foeminas, scrophulas acquisitas, in aetate infantili ortas, saepe in periodo pubertatis evanescere novimus; catamoeniorum ingressus hic praecipuum momentum est. Scimus autem easdem in annis infantilibus scrophulosi gradus altioris vexatas, in annis climactericis, indurationibus, scirrho mammarum pati. Tandem si diagnosis morbi ab initio bene

stabilita, et huic correspondens Therapia adplicata fuerit, multum ad laetam prognosim confert.

Therapia.

Ut morbo scrophuloso rationalis opponi possit medendi Methodus, omnium primo ad nosogeniam, morbi substratum, nec non ad praevalentem conditionem pathologicam adtendendum. Quatenus scrophulosis ex una parte debilitatem systematis lymphatici plus minus intensam, vel veram atoniam, ex altera parte lymphae plethoram et peculiarem ejus coagulabilitatem supponit, catenus remediis roborantibus atque solventibus, gradui morbi rite adcommodatis, oppugnari debebit, quae eodem tempore, quo energiae systematis lymphatici languidae tonum necessarium largiuntur, simul lymphae copiam praeternaturalem minuere, ejusque indolem corrigere adnituntur. Sed omnia haec votis Medici non respondebunt, si causarum morbum disponentium aut excitantium nullus respectus habitus fuerit, effectibus morbi secundariis quoque non praetervisis. Inde sequentes indicationes sponte fluunt. Ut primo compages systematis lymphatici laxa, debilis roboretur, ad normalem vitalem energiam reducatur. Secundo, ut illa plethora lymphatica minuatur, lympha spissa solvatur, in circulum promoveatur, ut tali modo normalis inter systema lymphaticum et lympham in eodem contentam ratio restituatur. Tertio, ut causae praedisponentes, quousque licet, extin-

guantur, causae autem excitantes arceantur. Et quarto tandem, ut effectus morbi secundarii, medicamentorum usum impedientes, vel enervantes, ex medio tollantur.

Paginam primae et secundae indicationis medicamina solventia et roborantia absolvunt, sed a principio talia propinanda sunt, quae non solum tonum systematis lymphatici restituunt, sed et omnia collatoria aperiunt, stases resolvunt, circulum languentem expediunt, et digestioni simul prospiciunt. Huc spectant Cichoreum, Taraxacum, Fumaria, Trifolium fibrinum, Marrubium vulgare, Carduus Benedictus, Rhabarbarina, imo Aloëtica, et si nulla febris adest, illis possunt alia potentiora concutientia jungi, uti: Cicuta, Aconitum, Lactuca virosa, Digitalis, purpurea et Stipites Dulcamarae. Etiam Assa foetida, Belladonna, Opium, Hyoscyamus tentata fuerunt. Opium tamen, quoniam alvum claudit, quae semper aperta esse debet, nunquam est exhibendum, nisi lateralis indicatio illius usum exposceret. Peculiarius laudatus fuit cortex Nucis juglandis viridis et glandes Quercinae. Prior non multum adstringit, et potius quid subdulcis habet, sed glandes Quercinae in pueris, ubi glandulae Mesenterii sunt obstructae, praeferuntur, quemadmodum in Phthisicis potus ex his glandibus laudatur; praeterea cortex Salicis, quin imo cortex Peruvianus, qui tamen ab initio in infuso frigido dein calido et tandem in decocto exhibetur; sic etiam sulfas chininae, praecipue in febribus scrophu-

losorum hecticis laudatur, qui ab infantibus bene fertur. Sed haec cum principio adstringente tumores adhuc clauduntur, sola non adhibenda, sed talibus medicaminibus jungenda, quae attenuando tumorum stases solvunt.

Ad venena acria pertinet ab Anglis proposita et ab Hufeland laudata Terra ponderosa salita; hujus autem doses ab initio mitiores debent esse, a quarta grani parte incipiendo bis aut ter de die ad majores paullatim adscendendo; cum hac Terra cauti esse debemus, alias, Colica, inflammatio, et pessima symptomata nervosa accedunt. Idem praestat et Murias calcis, qui ab aliis mitior habetur. — Tutiora remedia quae stases resolvunt, et collatoria aperiunt sunt, praeparata Antimonialia, sulfur auratum Antimonii Calomelano nuptum, kermes minerale, vel Antimonium crudum', vel Tincturae. Recentius sapones Antimoniales cum oleis Aethereis laudarunt. Etiam Mercurialia maximas laudes merentur, cum nullum remedium adeo potenter in glandulas lymphaticas agat. Sunt qui Calomel interne praeferunt; externe vero inunctiones cum unguento Neapolitano. Usus autem Antimonialium potest longius protrahi, et eorum dosim possumus augere, sed Mercurius vel Ptyalismum abdominis efficit, Pancreas ita emulget, ut Diarrhoea exoritur, vel oris ptyalismum producit, vel utrumque. Alii et alia metalla laudarunt, uti Ferrum, quod roborat et non solum antiscrophulosum, sed simulque anthelminthicum est, praesertim Flores salis

ammoniaci martiales, qui et roborantem Martis virtutem, et solventem Ammoniaci habent. Ab aliis et Aurum laudatum fuit, praesertim Murias Auri simplex; caute autem adhibendus, ad decimam sextam grani partem cum saccharo pro dosi semel de die, quod, si febris adest, aut scrophulae in pulmonibus haerent, remedium periculi plenum. Nonnulli Decocta lignorum uti Guajaci, Juniperi; stipitum Dulcamarae; alii et blandiora uti Sassaparillae, Bardanae cum Liquiritia. Haec autem pertinent ad coadjuvantia. Alii stimulantia et diffusibilia adhibent, quae nonunquam bona sunt, augent quidem secretiones, sed illas non emendant. Si quae sunt adhuc, habentur in Gummiferulaceis. Peculiares laudes autem semper habuit Assa foetida, praecipue ubi caries adest, sed qua remedium nauseosissimum infantes respuunt. Quammaximas autem laudes Balnea merentur, quae semper bene faciunt, et pro diversitate subjecti et gradus morbi diversimodo adhibenda, frigida, tepida, calida; simplicia, marina, salita; cum rebus variis mixta, uti sapone, lacte, Maltho, herba Cicutae, cortice Chinae, Ferro, aqua Calcis, Sulfure, herbis aromaticis hinc inde nupta, uti Chamomilla, Mentha crispa, Salvia, Calamo aromatico etc; porro Aquae soteriae, Thermae sulfureae, Thermae Aquisgranenses, Thermae Nenndorfenses, Thermae Töplicenses, Wisbadenses, nec non Balnea arenae ab Hufeland contra Rhachitidem proposita.

Empirica remedia fere nullius valoris sunt,

uti Spongia usta, cujus effectus salutares contra Strumam multum laudantur; Iodina, cujus vis in corpus animale magna, et medici prudentes hoc remedium non adhibent, nisi morbi et aegri, quem tractant, rationibus omnibus bene perpensis, dicit immortalis Hartmann; (*a*) et in alio loco, scrophulae torpidae et quos, ferunt, fructus infausti, suam a Jodo medelam hinc inde expectant. Alii terras calcarias, aquam calcis, etiam herbam Farfarae et hujus succum; alii Rutam, qua specificum laudant.

Attamen omnia haec medicamina nihil praestabunt, nisi et illae prophases multifariae, quae morbum vel fovent, vel excitant, aut Therapiae usum salutarem impediunt, quousque licet, antea enerventur, vel amoveantur. Quare, si acidum primarum viarum, mucus, saburra, vermes infantes vexant, absorbentibus, uti Magnesia, quae bene a pueris fertur, aut Pulvere lapidum caucrorum, Concharum praeparatarum; alcalibus fixis, quae et mucum in primis viis haerentem resolvunt, atque lymphatico systemati et organis secretionis stimulum addendo, resorbtionem in tractu intestinali, renibus, pulmonibus expediunt, simulque qualitatem lymphae corrigunt; alcalibus volatilibus, quae eodem quidem modo uti fixa agunt, sed cum renisum systematis sanguiferi et nervosi magis sollicitant, in statu febrili aut colliquativo evitanda. — Si saburra adesset,

---

(*a*) Hartm. Pharmac. dynamica. §. 365. edit. altera. Vind. 1829.

evacuantia, et quidem si in ventriculo, emetica, sed caute adhibenda, ne scrophulae simplices inflammatae reddantur, et inde suppuratio inducatur; si vero in intestinis saburra hospitat, purgantia, sed calefacientia, uti Folia Sennae, Rhabarbarina etc. Salina, cum nimis relaxant, nocent; si vermes in intestinis nidulantur, anthelminthicis opponendi. — Si glandulae mesaraicae obstructae essent, praeter solventia supra enumerata, abdomiui inungi possunt linimentum volatile cum unguento Mercuriali; unguentum Digitalis purpureae cum Petroleo, quae, et si in aliis partibus glandulae obstructae occurrunt quoque adhiberi possunt; interquae, et Fel Tauri tam recens quam inspissatum; squilla in unguento aut cum aceto pro cataplasmate ab Hufel. admodum laudantur. Inflammatio vero glandularum externa, exposcit emollientia, discutientia, suppuratio semper vitanda; praematura incisio, aut penitus neglecta, in glandulis suppuratis aeque damnosa. — Si crusta lactea vel Achores adessent, praeter remedia antiscrophulosa interna, topica quoque in usum trahenda, uti lotiones cum aqua saponata tepida; inunctiones cum unguento ex oleo olivarum et cremore lactis recenter paratis, facto, etc. — Ophthalmiae; Aurifluxus; symptomata Phthiseos et tabes suis regulis erunt tractanda. — Si convulsiones, insultus Epileptici, Chorea sti Viti, paralyses effectivo modo exorirentur, nervina sunt propinanda, etc. etc. quoe omnia tertiae Indicationi satisfacient, si simul et Therapia radicalis non negligeretur, quae

basim constituit, et saepe sola adhibita symptomaticam superfluam reddit.

Regimen diaeteticum.

Fere in nullo, diaeta est perquam necessaria atque summi momenti, ac in morbo scrophuloso, praesertim sub hujus exordio, quo nonnunquam limites ponere licet. Momenta ad quae quam maxime respiciendum est, sunt: Domicilia, in quibus maximam vitae partem infantes peragunt; hinc cubilia sint pura, sicca, hyeme non admodum calefacta, radiis solis pervia, in quibus aër quotidie renovandus. — Victus esto eupeptus, magis carnosus, moderatae quantitatis; panis vero, radices solani tuberosi, lacticinia, cibi farinosi, pingues, acres, uti caseus, pisces saliti etc. quemadmodum potulenta, stimulantia, aromatica, uti potus cremati, Thea, Coffea etc., cane pejus et angue vitanda. — Summa cutis mundities suadenda; hinc stragula, vestes saepe saepius mutanda; lotiones cum aqua simplici, sapone, aut panxillo vini mixta fere quotidie, balnea vero tepidula, simplicia aut variis rebus gradui morbi adcommodatis praeparata, saepe instituenda, vix unquam negligenda. — Motus corporis quotidie vel domi vel in aëre libero exercendus. — Tandem et certa inter vigilias et somnum ratio quoque observanda.

Ad rem faciunt.

C. G. Th. Kortum, commentarius de vitio scrophuloso etc. Tom. II. Lemgo, 1789—90. 8.

Th. White, über Scropheln und Kröpfe. Aus dem Engl. Offenbach, 1788. 8.

Rob. Hamilton, Beobachtungen über die Scrophelkrankheit, den Scirrhus, Krebs und Rhachitis. Aus dem Englisch. Leipzig 1793. 8.

F. A. Weber, von den Scropheln, einer epidemischen Krankheit vieler Provinzen Europens. 1. Theil. Salzburg, 1793. 8.

C. W. Hufeland, über die Natur, Erkenntniß und Heilart der Scrophelkrankheit. 3. sehr vermehrte Auflage. Berlin 1819. 8.

J. C. Starke, de scrophulorum natura. Jenae 1793.

Rich. Carmichael, Henning und Goodland, über die Scrophelkrankheit. Nach dem Engl. frey bearbeitet von D. F. L. Choulant. Leipzig 1817. 8.

Die Natur der Scrophelkrankheit u. s. w. Aus dem Englischen des Wilh. Fare &c. von D. G. W. Becker. Leipzig, 1820. 8.

Hildenbrand (Franciscus nobilis ab), annales scholae medicae Ticinensis. Pars prima. Papiae 1826.

Heilart der Scrophelkrankheit, von Jos. Ritter v. Vering. Wien 1829. 8.

Raimann's (Johann Nep. Edler von), Handbuch der speciellen medicinischen Pathologie und Therapie. Vierte vermehrte und verbesserte Auflage. 2. Band. Wien 1831.

F. Jahn, C. B. Fleisch, T. Feiler und And. in ihren Handbüchern über die Kinderkrankheiten.

Theses defendendae.

I. Suspiria in morbis praecordiornm signum praebent diagno sticum magni momenti.

II. Bruma pulmonibus imperat, hepati aestas.

III. Epidemiae anniversariae a diathesi hominum quater in anno mutata dependent.

IV. Periodicitas in morbis nonnisi ex harmonico motuum organicorum cum oscillationibus cosmicis concentu erui potest.

V. Quivis homo dormiens somniatur.

VI. Medici plus interdum quiete, quam agendo proficiunt.
Livius.

VII. Vix unquam pari tempore plures contagionum species in uno eodemque organismo occurrunt.

VIII. In Inflammationibus viscerum abdominalium adplicatio hirudinum super abdomen potius nocet, quam juvat.

IX. Scarificatio quandoque hirudinibus praeferenda.

X. Si scorbuto febris accedit, pessimum.

XI. Cholera est morbus mere Epidemicus.

XII. Natura Medicatrix est quae morbos sanat, nihilominus Medicus non superfluus, quin imo necessarius.

XIII. Medicus Philosophus, optimus Naturae Minister.